

et metum constanter incedat, intuens ex una parte præmia in cælis promissa bonis, ex altera gehennam præparatam malis. Etenim mons Olivæ præaltus est, ut ex eo videri tota hinc civitas Jerosolyma, inde vero cerni mare mortuum possit. Jerosolyma cælum, mare mortuum repræsentat gehennam. Quisquis ergo post Christum ascendere cupit in cælum, duos illos terminos præ oculis semper habeat: beatorum in cælo gloriam, et reproborum in inferno confusionem ac tormentum.

Porro sicut Christus in hoc mundo angustum semper locum tenuit, in arcto Bethlehemico antro natus est, in arcta cruce constrictus mortuus est, in angusto sepulcro conditus, per angustum callem in cælum sublatus est: ita decet Christianum in hac terra stantem nequam se expandere, et laxam viam inire, sed angustam potius, et sese coarctare. In cujus rei documentum, quando Moyses petiit a Deo, ut videre posset faciem ejus, respondit Deus: *Cum pertransibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et videbis posteriora mea*, Exod. XXXIII. quas

(uti explicat S. Cyrillus Jerosolymitanus, catech. X.) *Hoc faciam, sed ita ut capere possis: ecce ponam te in foramine petræ: cum enim æquus sis, in parvo circumscriptus eris*. Nimirum nec ipsam Domini humanitatem possumus sequi nisi circumscripti et constricti humilitate, contemptu nostri, vitæque nostræ restrictione. Christus dum ascendit in cælum faciem ad occidentem, dorsum vertit ad orientem, ut testatur Adrichom. et qui eo peregrinati sunt: partim modo qui ad beatam illam vitam tendunt, non ad orientem blandientis fortunæ et illecebrarum hujus mundi oculos suos dirigant, sed ad occidentem exeuntis et cum mœrore finientis: non ad vitam inchoantem, sed ad mortem sensim adrepentem. Hoc qui fecerit, cum Tyrio illo servo (de quo sæpius mentionem fecimus, ex Just. hist. l. XVIII. quique oculis in occidentem versis ad cacumina montium spectans, cæteris ad orientem aspicientibus, prior solis ortum vidit, adeoque in regem electus est) rex eligetur, et una cum Christo ascendet regnaturus in cælo

DOMINICA VI. POST PASCHA,

QUÆ EST DOMINICA INTRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

EVANGELIUM. JOANN. XV. et XVI.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. XVI. Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me. Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.

CONCIONES.

- I. Quomodo apostoli Christo perhibuerint testimonium; et Christianus quisque, etiam neophytus, perhibere debeat.
- II. Multiplex perfidia castigatur: fidelitas suadetur.
- III. Scandatum activum communi omnium sanctorum calculo vitandum.
- IV. Motiva ne scandalizemur in peccatis aliorum.
- V. Mali cur bonos oderint, et cur veritatem.
- VI. Argumenta et testimonia fidei christianæ.
- VII. Recte et salubriter fieri, quod indulgentiæ nunc liberalius concedantur.
- VIII. Adhortatio ad milites pro Ecclesia pugnantes.

- IX. Documenta.
- X. Mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Quare, et quam immerito aliqui scandalizati sint in Christo.
- II. Quam sit grave et periculosum præbere scandala.
- III. Cur mali persequantur et odio habeant bonos.
- IV. Ratis et modus accendendi in nobis ignem Spiritus sancti.
- V. Stimuli ad emigrandum ex hac vita cum desiderio.

CONCIO I.

QUOMODO APOSTOLI CHRISTO PERHIBUERINT TESTIMONIUM, ET CHRISTIANUS QUISQUE, ETIAM NEOPHYTUS, PERHIBERE DEBEAT.

- I. Voce. — II. Digito seu conversatione. — III. Sigillo seu miraculis. — IV. Subscriptione seu martyrio.

THEMA.

De me et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Joan. XV.

Magna dignitas, auditores, collata est apostolis, cum ab eo designati sunt testes vitæ et passionis ejus; id quod hodie eis insinuat illis verbis: *Et vos testimonium perhibebitis* (de me) *quia ab initio mecum estis*. Quid enim aliud est testis, nisi defensor et tutor seu antistes causæ alicujus? Et quid erit defensorem et propugna-

torem esse Filii Dei? Hinc apostolus Petrus eo nomine gloriatur, non quod sit apostolus et illorum primas totiusque Ecclesiæ pastor, sed quod sit testis Christi. Sic enim ait, ep. 1. c. XV. *Obsecro consenior et testis Christi passionum*. S. etiam Paulus protomartyrem illum Stephanum non potuit honorificentiore titulo cohonestare, quam vocando eum *testem Christi*, Act. XXII. *Cum funderetur*, inquit, *sanguis Stephani testis ejus*. Denique, ss. martyres, qui pro Christi nomine sanguinem suum fuderent, hoc appellantur nomine, *martyr* enim Græce, *testis* est Latine. Cæterum si bene advertimus, etiam nos Christiani ea voce comprehendimur et dignitate insinimur. Si enim apostolus ad Hebr. XII. veteres patres vocat testes Christi seu martyres, quod fidem ejus contestati sint: s. Joannes, Apoc. XII. Henoch et Eliam venturos tempore antichristi, et ipsos appellat Christi testes, quis

dubitat etiam nos ejus testes esse posse, imo vero debere, praesertim si qui ad veram et catholicam fidem nuper primum accessere. Id vero qua ratione fieri debeat, nunc audiamus.

Quatuor modis solemus testificari aliquid. Primo, voce; deinde, duorum digitorum erectione; tertio, sigilli impressione; denique, manus subscriptione. Omnibus his modis testimonium reddidere Christo apostoli, et nos reddere debemus.

I. Voce seu praedicatione, ut patet ex Actis apostolorum, ubi cap. IV. dicunt: *Non possumus quae vidimus et audimus non loqui*, q. d. quia testes Christi deputati sumus, debemus facere officium nostrum: et paulo inferius ait Lucas: *Virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Domini nostri Jesu Christi. Reddebant*, inquit, quasi depositum scilicet sibi a Christo creditum. Et tantus erat fervor in eis ad praedicandum evangelium, ut propterea ab aliquibus dicerentur ebrii et musto pleni, uti Act. II. deinde ut etiam, victi iudices suos ad Christum convertere conarentur, uti Paulus, Act. XVI. quasi non de suae, sed de illorum vitae periculo ageretur. Ergo Christianus quisque non debet solum mente credere in Christum, sed etiam cum res exigit, viva voce fidem ejus confiteri et contestari; ut ita sit perfectum quasi horologium, non indicans solum horas, sed etiam sonans. Sane S. Ambrosius, l. III. de virginibus vult recitari a Christiano symbolum fidei quotidie mane, et quando in aliquo timore vel periculo nos videmus constitutos. S. vero Augustinus, l. 1. de symb. ad catech. c. 1. et S. Hieronymus, ep. LXI. ad Pammach. hortantur ut repetamus antequam incumbamus et ad externas occupationes prodeamus. Ac propterea apostoli non id scripto, sed verbo tradidere, ut docerent nos perpetuo id in corde et ore habere memoriterque recitare. Id quod ab infantia observasse legitur S. Petrus martyr, qui septennis e schola rediens, interrogatus domi, qui didicisset, christianae fidei symbolum didicisse se asseruit; qui et a sicariis dum necaretur, symbolum id pronuntiavit, ut habetur in breviariis. Praeter hoc etiam cum opus aggredimur, cum instituere in fide alios debemus, et cum interrogamur, ab eo praesertim qui potestatem habet, fidem profiteri; contra infideles et haereticos defendere et propugnare; ut alibi ostensum est.

Quod imprimis observare debent, qui ad fidem catholicam non ita pridem se adjunxerunt. Ut enim omnem a se prioris sectae suspicionem amoliantur, et a fidelibus oves non lupi habeantur, debent sinceritatem fidei suae externis signis prodere, quomodo etiam S. Paulus

nuper conversus, continuo ingressus est synagogam et praedicabat Christum: et cum ingressus Jerosolymam iungere se conaretur fidelibus, qui nondum eum noverant conversum, sed adhuc in lupum metuebant, Barnaba ductore eis sociatus, defendit fidem contra Graecos et gentiles, qui et propterea occidere illum volebant, Act. IX. Multo minus licet fidem ullatenus abnegare; quis enim filius patrem, sine gravi ejus injuria, audeat abnegare?

II. Duorum digitorum elevatione, hoc est sancta christianae vitae conversatione, quae duas continet partes: fugam peccatorum et studium virtutum, juxta id Ps. *Declina a malo et fac bonum*. Quam vero sancta fuerit conversatio apostolorum, discimus etiam ex actibus illorum descriptis a S. Luca, unde colligimus ex ipsorum instituto vixisse tunc Christianos sicut nunc vivunt religiosi. Erant illis omnia communia, nemo quid suum dicebat, erant perseverantes quotidie in audiendo verbo Dei, in communione et eleemosynis. Tam bona discipulorum institutio magistros utique laudat: sic praecelorum opus opificem. Hinc apostolus alias littera commendatitias non requirit a Corinthiis praeter ipsorum vitam, ad quam eos instituit: *Epistola enim nostra vos estis*, inquit, II. Cor. III. Similiter S. Petrus, ep. 1. cap. IV. testatur Christianos a se institutos propter vitae sanctitatem miraculo esse gentilibus. Hinc S. Blandina martyr dum quasi propter crimen torqueretur, ait ad tortores: *Christiana sum, et nihil apud nos mali committitur*. Hoc ergo testimonium efficacius adhuc primo fuit, et mirum in modum commovit ethnicos ad amplectendam fidem Christi, prout etiam ab Isaia, cap. LXI. praedictum fuit; dicturos nimirum gentiles de primis Christianis visa eorum conversatione: *Isti sunt semen cui benedixit Dominus*. Hoc videns etiam suo tempore Julianus apostata imperator scripsit ad Arsacem Galatiae pontificem, ut et ipse juxta ritum et mores Christianorum institueret ritus suos, et mores suorum sacrificulorum corrigeret, ne in theatra prodirent, ne in tabernis biberent, sed sancte ubique viverent, benignitatem in pauperes et peregrinos exhiberent, poenitentias delinquentibus injungeret, etc. exemplo Christianorum, quo gentiles ad eorum amorem et sequelam accendi conquerebatur, ut refert Sozomenus, l. V. cap. XV. Verum frustra laboravit; divinae virtutis est, non humanae, ad vitae sanctitatem homines instituere. Nos ergo Christiani in hoc etiam imitari apostolos debemus et morum innocentia testimonium Christo reddere, quod sit Filius Dei, et de caelo venerit ut Salvator mundi; quod eriperit nos de potestate tenebrarum feceritque filios lucis et Dei;

hoc inquam demonstrare nos oportet abjiciendo opera tenebrarum et induendo arma lucis, seu declinando malum et faciendo bonum. Mulier illa sapiens, Prov. XXXI *Quasivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum*. Lana est vestis externa, velut tunica; linum est interna, velut interula. Ut ergo nemo sine pudore, solo indusio prodire in publicum audeat (praeter infantes) ita nemo adultus sola ea fide, quae in recessu cordis latet contentus esse debet; externam etiam vestem et fidei conversationem bonam induat necesse est. Et hoc est operari consilio manuum, quando scilicet manus adhibetur cordi. Alioquin si vita nostra doctrinae Christi evangelicae non respondeat, Christum potius probo et infamia aspergimus, quasi vel ipse magister noster probus non fuisset, vel improba docuisset: «Dum dicitur inquit Salvianus, l. IV. de providentia, ecce quales sunt qui Christum colunt! Falsum plane est, quod aiunt se bona discere. Sancta a Christianis fierent, si Christus sancta docuisset. Estimari itaque de cultoribus suis potest ille, qui colitur Quomodo enim bonus magister est, cujus tam malos videmus esse discipulos?» Et supra: «Frustra nobis de praerogativa et nomine christianitatis blandimur, qui ita agimus ac vivimus, ut hoc ipsum quod christianus populus esse dicimur, opprobrium christi esse videatur.» Quare S. Augustinus, l. L. hom. in ho. XX. «Estote, inquit, germani Christiani et nolite imitari nomine Christianos, opere vanos.» Seire cupitis quales sint Christiani nomine, opere vani? Sunt velut areola in horto, nomen Jesu pulchre exprimens, quam tamen accrescentes herbae ita obruant, ut dignosci nomen id non possit. Pulchrum certe nomen Christiani, in horto Ecclesiae; quo si tamen vitia id obruant et offuscant, quis legat et agnoscat hoc nomen? Quis credat te Christianum?

Speciatim hoc observent, qui catholicam fidem nuper amplexi sunt, ut ne satis esse existiment, quod fidelibus se aggregarint et fidei professionem ediderint, sed ut praeterea contendant bonis operibus certam suam vocationem facere. Non sint contenti quod sint arbor implantata vineae Domini, sed eurent etiam fructum facere, ne cum ficu infructifera e vinea exeindantur. *Remanere etenim in Ecclesia Dei non possunt*, inquit S. Cyprianus, *qui deificam et ecclesiasticam disciplinam nec actus sui conversatione nec pace tenuerint*. Solent enim a pastoribus officii sui admoneri et redargui. Unde id non ferentes facile, de relapsu cogitant et jugum christianae disciplinae excutiunt; sicut ait Oseas, cap. VII. *Reversi sunt ut essent absque jugo, facti sunt quasi arcus dolosus*. Reversi inquam ad priorem perfidiam quomodo Jehu (qui videtur ibi notari) cum evertisset

Baal, videreturque Deum verum culturus; mox rediit ad vomitum et aureorum vitulorum cultum, quem a Jeroboam institutum restituit. Fiant vero arcus dolosus, quia cum videantur collimare ad dexteram religionis catholicae, jaculantur ad sinistram sectae acatholicae. Vel quia instar arcus cariosi paulo fortius tensi, impatientia rumpuntur, et jugum Christi abrumpunt.

III. Sigilli impressione, hoc est, miraculorum editione. Ut enim sigilla appensa testamentum et alias litteras, ita miracula divinam missionem comprobant. Unde Joan. VI. ait Dominus se a Patre signatum (Graece sigillatum) esse sigillis videlicet miraculorum, quibus demonstravit se a Patre missum. Quod hac ratione apostoli testimonium reddiderint Christo, luce clarius. Sane per hoc convicere etiam plurimos Judaeos, et obstruxere os Scribis et Phariseis ut non haberent quod contra mutirent, uti praedictum Isaiae, cap. XLVIII. a Spiritu sancto dicente: *Laudem meam infranabo te*. Laude, id est, miraculis gloriosis; unde Septuaginta vertunt: *Gloriosa mea inducam super te*. Sed qua ratione caeteri Christiani testimonium hoc de Christo ferent? Sane miracula nec jam necessaria sunt, nec a nobis requiruntur. Possumus tamen et nos mira quaedam patrare, non absimilia miraculis. Imprimis si qui: *In medio nationis pravae*, (ut ait apostolus ad Philip. II. de primis Christianis) *lucent velut luminaria in mundo*, nonne magnum edunt miraculum? Atqui tales inter alias nationes vera fide destitutas vult nos esse apostolus, ut in eum locum, scribit S. Anselmus: «Vult, inquit, ut Christiani sint quasi stellae, quae in caelo fixae non curant terrena, sed totae intendunt ut suos cursus et motus peragant, lucemque spargant mundo.» Tritum est illud Platonis et Aristotelis: *Nec Hesperus, nec Lucifer ita admirabilis ut justus*. Tale porro lumen fuit Job in terra Huss gentili, quem ideo laudibus extollit Sanctus Gregorius, l. 1. mor. cap. 1. quod bonus inter malos fuit: *Immensi est praeconii*, inquit, *bonum etiam inter malos extitisse*. Tale et Tobias in captivitate Assyriorum Deo vero serviens; quintiam inter suos caeteris omnibus pergentibus ad vitulos aureos Jeroboam, solus ipse tendens Jerosolymam ad templum Domini, Tob. 1. tale lumen Noe tempore: *Quo omnis caro corruerat viam suam*: tale Abraham inter Chaldaeos, Machabaei inter Hebraeos, Philippenses et universim primi Christiani inter gentiles. Miraculorum naturae est, quod diversi fluvii in eodem alveo una vel juxta fluant, et non commisceantur, qualis Rhenus in Aconiano lacu, et Romae virgo aqua, quae in Herculeanum rivum influens ei non commisceatur, sed ab eo refugit; unde virgo denominata est, teste Plinio, l. XXXI.

cap. III. At non minus miraculum est bonus inter reprobos ab eorum moribus alienus; cuiusmodi erant in Atheniensi academia, lubrica alioquin, S. Gregorius Nazianzenus et S. Basilius. Ita enim Nazianzenus, orat. XX. scribit: «Si quis fluvijs per salsum mare dulcis fluere creditur, si quod in igne, quo omnia consumuntur, animal saltitare; id nos inter omnes adulescentes, pravos scilicet et corruptos, eramus.» Deinde, possumus sensu mystico facere ea miracula, quæ fidelibus facienda concessit Dominus in cœlum ascensurus, uti suo loco dictum. Denique, quotquot heroicos virtutum actus præter omnium consuetudinem aut expectationem designant, sane non exiguum præstant miraculum; uti senior ille apud Cassianum, a plebe Alexandrina variis exagitatus injuriis, rogatusque: *Ecquæ miracula Christus fecisset?* Respondit enim: *Hæc, quod ego conviciis et injuriis vestris læcessitus, ad indignationem non moveor.* Quotquot etiam graves superant tentationes, miracula quædam patrant, quia in igne sunt et non ardent. Talia porro miracula, si qui alii, possent edere ii, qui nuper ad fidem conversi sunt, simulque omnium animos et oculos in se convertere, si vellent. Imprimis si inter acatholicos non dubitent suam fidem constanter tueri, nec quidquam habere cum illis commune velint, uti fecit imprimis Naaman ille Syrus, qui ad Deum verum conversus tulit e terra sancta Israelitarum particulam, ut in ea consistens moneatur adorandi Dei veri in templo idolorum regis sui: solus igitur in idolorum fano Deum verum adorabat mira inventione, IV. Reg. V. Commendatur etiam eo nomine a S. Epiphano, hæ. XXX. laudatissimus ille Josephus a Constantino Magno comes factus, quod Scythopoli *solus is orthodoxus esset*, omnes vero alii Ariani. Deinde, si conversionis suæ luculenta testimonia et signa edere vellent, uti Zacchæus, qui ejurata rapina et avaritia promisit se dimidium honorum pauperibus daturum, et si quem defraudasset, restitutum in quadruplum, Luc. IX. Cui accedunt illi, qui in Actis apostolorum, cap. XIX. prius: *Curiosa* (id est magicas artes) *sectati contulerunt libros suos, et combusserunt coram omnibus.* Eo pertinent et Indi, qui a S. Xaverio et aliis ad fidem conversi, idola sua publice comminuerunt, conspuerunt, ad terram alliserunt, pedibus calcaverunt. Hæc eadem facere neophyti maxima sua laude, aliorum ædificatione, cæterorum omnium admiratione possent, si et ipsi obfirmarent animum, ut ne in posterum cum hæresi et hæreticorum periculosa societate quidquam commune habere vellent: si damna prius data pro viribus resarcire studerent, quomodo Henricus Sueciæ rex ad fidem ope Ansgarii Hamburgensis episcopi

perductus christianæ religionis fines latissime propagavit, ut sic expiaret damnum, quod eidem prius attulerat, apud Cranzium, I, 4. metrop. c. XLI. si infectos hæresi libros vulcano devoverent: si cantiones et psalmodias hæreticorum, aliaque deliria execrarentur: si denique vitam suam ita instituerent, ut nemo non cernere posset, mutatos esse in viros alteros, et tam priore sua conversatione distantes, quam distat vera religio a falsa, fides divina ab humana.

IV. Subscriptione, quam fecerunt proprio sanguine, pro Christo se tradendo manibus carnicum. Atque hoc est ultimum ac perfectissimum testimonii genus et aliorum complementum; unde sancti martyres id nomen simpliciter obtinuerunt, quod velut locupletissimi testes ipso sanguine suo fidei subscripserint. Non est opus hoc ostendere factum esse ab apostolis, quia apertum. At vero qua ratione dabimus nos Christo tale testimonium? Absunt quidem tyranni, sed non desunt passim hæretici, qui catholicos affligant; et ut isti desint, adsunt alia ex parte propria voluntas, mundus, caro, dæmon, quibuscum crebro velitandum. Istos si vicerimus, ad primos illos martyres proxime accedemus. Ergo primus noster tyrannus et persecutor est propria voluntas, quam vincimus per obedientiam. Habet autem et obedientia suum nec vulgare martyrium, quo quis caput suum frangit et alteri ad nutum subjicit: uti fecit B. Petrus Faber e primis S. Ignatii sociis unus, qui Romam evocatus in summis caloribus, ex obedientia paruit, dissuadentibus licet medicis; quare ibidem hostia obedientiæ factus Deo spiritum reddidit, et postea apparens sanctæ personæ sæpius repetiit se obedientiæ titulo mortem oppetiisse, et propterea in cœlo summis gaudiis perfrui, ut in ejus vita Orlandinus, lib. II. cap. XXVIII. Alter tyrannus mundus est, qui partim suis blanditiis inescat, partim obtreactionibus nos impugnat. Qua de re Sanctus Augustinus, serm. CCL. de tempore ait: «Contra mortifera blandimenta luctemur, scientes in eo etiam quotidiana martyria Christianis non desesse:» et S. Gregorius, hom. XXV. in evangel. «Ferre contumelias, odientes diligere, martyrium est in occulta cogitatione.» Ratio est, quam dat Chrysostomus, hom. XXXI. in Acta: «Durius siquidem multo est opprobrium et convicium viro strenuo, quam corporis vulnus aut plaga.» Tertius est caro, quæ uti perpetuo nobis adhæret, ita perpetuo adversatur. Unde S. Cyprianus (vel quisquis est actor) tract. de duplici martyrio, passionis scilicet et actionis, seu sanctæ vitæ scribit, per hanc ita glorificari Deum ut per illam. «Fidelis, inquit, tota vita mar-

tyrium, hoc est, testimonium reddat Deo, quod adeo negligendum non est, ut nisi ea præcesse- rit martyrium quod sanguine perhibetur, non sit martyrium. Frustra enim cervicem præbueris ærenifici, nisi prius occideris membra quæ sunt super terram, hoc est, affectus qui militant adversus spiritum; odium, invidiam, superbiam, libidinem, etc.» Nec deest partibus suis dæmonem, qui si omnes pugne conquiescant, ipse pugnas excitat, cui nunquam non invigilare et resistere Christianus debet. Denique etiam, quisque paratus esse debet fidem suam tueri ac profiteri coram hostibus fidei, ita ut non modo eam abnegare nolit, sed nec tergiversari aut dissimulare cum interrogatur a magistratu: velitque potius omnis generis penas sustinere, quam vel latum unguem a sua professione recedere. Quod imprimis notare etiam neophyti debent, ut et ipsi martyres Christi suo modo fiant, suæque conversioni quasi sanguine subscribant. Neque enim deerunt, quæ post juratam religionem catholicam exercebunt eorum patientiam. Imprimis vitia inoluta et præva consuetudines, quæ cutis instar adhærent, nec sine difficultate exui possunt. Deinde, displicentia morum in privatis quibusdam catholicis, qui non faciunt officium suum. Rursum insultatio et minæ hæreticorum, quandoque etiam insidiæ quibus necem eis struunt. Denique variæ mundæ illecebræ, quibus retrahere eos conatur. Verum his persecutoribus opponere se tyro Christi debet, et cogitare, quod attinet ad primum, consuetudinem consuetudine pelli posse, et quæ initio amara videntur, usu ipso dulcescere. «Non assuetis ferre cervicibus jugum, grave est, inquit Seneca I. de providentia: ad suspensionem vulneris tyro pavescit, audacter veteranus cruorem suum spectat, qui scit sæpe se vicisse post sanguinem.» Semper adversi aliquid patiendum illi erit, sive religionem veram colat, sive non colat. Ubique cruce et miseriæ. Senectus diuturnis, adolescentia acutis obnoxia est morbis, in montibus ningit, in vallibus pluit. Quantum ad secundum, scire debet Ecclesiam catholicam profiteri quidem sanctitatem, sed non possidere, in omnibus suis membris: ad eam aspirare et impellere suos, sed nondum pervenisse; inter aliquos malos, multos esse bonos. *Vitis nemo sine nascitur; optimus ille est qui minimis urgetur*, ut ait Sanctus Hieronymus, ep. ad Salvian. Quod attinet ad tertium, mirum id non est. Audiamus Epictetum philosophum gentilem in enchiridio, cap. XIX. «Sapientiæ, inquit, studium suscipere cupis? Ad hoc te ipse statim para, ut deridearis, quasi te subsannaturi sint multi, et quasi dicturi: Iste nobis repente philosophus advenit, et unde nobis hoc

supercilium?» Nemo non sanctorum, ipse Christus Dominus, insultatores habuit, quis cum istis pati non velit? Denique, illecebræ mundi spernendæ sunt: æterna fluxis anteponenda. Tempestas probat navarchum; et tentatio verum Christianum. Facile est Christianum se exhibere, quamdiu mundus, caro, dæmon non blandiuntur, et nos avocare non conantur; ubi vero tentationes adsunt, tunc apparent veri Christiani, et veri Dei amici. Cujus rei exemplum affert Gregorius Nyssenus, ser. de profe. christi. homi. de simio purpura amicto, quem histrio quidam Alexandrinus ad instar mulieris vestitum, et larva muliebri secundum faciem operatum in scenam protulerat, et ad citharam scite saltare docuerat, ita ut mirarentur omnes et puellam crederent. Interea quidem re animadversa, ante simium projecit salgama, id est, poma et pira vel nuces, quo mirifice eum delectari sciebat: quibus conspectis mox occurrit simius; larvam detrahit et dirumpit, quo commodius vesci optato cibo posset: *Sicque factum*, inquit Gregorius, *ut simius videretur simius.* Eodem modo plurimi Christiani orant, jejunant, confitentur, templa adeunt, etc. quamdiu tentatio non occurrit. Ast ubi diabolus salgama seu illecebras ad ipsorum gustum factas objicit: ibi sæpenumero larvam hominis catholici qua se obtegebant, detrahunt, et contemptis Christi ac Ecclesiæ præceptis ad mores hæreticorum et priorem vivendi consuetudinem properant, carnes cum hæreticis devorant diebus interdictis, et ululant cum lupis. Verum hi ostendunt se religionem suam ædificasse super arenam: *Descendit enim pluvia et venerunt flumina et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam ac subruerunt eam.* Ergo, auditores, viderit unusquisque ubi domum suam ædificet: et si sapimus ædificemus super Ecclesiæ petram inexpugnabilem; ibique Christo Domino demus testimonium, quo et ipse aliquando in cœlis det nobis testimonium suum.

CONCIO II.

MULTIPLEX PERFIDIA CASTIGATUR, FIDELITAS SUADETUR

I. Quæ committitur in Deum. — II. Quæ committitur in dominos. — III. Quæ a conjugibus. — IV. Quæ fit in proximum. — V. Quæ fit hosti contra pacta. — VI. Quæ committitur in amicum.

THEMA.

Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Joan. XV.

Inter alias præclaras Theodosii imperatoris virtutes celebratur imprimis tam certa beneficiorum promissio, ut jam accepta viderentur,